

- 1477 tuisse vel populariter ad primum tumultum ex urbe accuri, nec expectare ut Mestrana tecta, ac si quod ædificium propius urbi esset, nefandæ manus diripiant, & incendant. Hujusmodi querelis factum est, ut navigia aliquot sagittariis fociisque navalibus plena, mari, & ex Taurifino agro aliisque proximis locis equitum turmæ, & subitariæ cohortes in hostes missæ sint. Sed hi tum demum in Carnos venere, quum jam hostis longe abiisset. Mansere aliquandiu utraque castra sine præsidio: nec defuerunt
- 1478 qui censerent, ea prorsus diruenda: missique in Patriam ex patricio ordine Dominicus Georgius, qui ea legatione Utini vita decessit, Zacharias Barbarus, Joannes Hemus, & Candianus Bolanus, qui statum provinciæ recognoscerent, inspicerentque utrum fatius esset diruere munitiones illas, an novo præsidio denuo firmare. Constitit, nihil esse quo barbarorum incurfibus tutius iri posset obviam, quam si altera saltem castra validissimo firmarentur equitatu. Carolus itaque Montonius, qui superiore anno fuerat exauctoratus, per oratores ex Hetruria revocatus, in Patriam missus est. Is Gradiscana castra rursus valido præsidio inita, non solum armis, sed fossa etiam & vallo in oppidi speciem communivit. Sed dum in eo opere ille occupatus esset, Vendraminus Princeps altero sui ducatus anno aliqua ex parte acto decessit: ad Servorum ædem honorificentissime elatus est. Joannes Moce-
nicus, Petri Principis frater, vir spectatæ innocentia, miro omnium consensu Princeps declaratus est.

*Jo. Moce-
nicus Dux de-
claratur.*

*Scodra lon-
ge atrocius
quam antea
a Turcis op-
pugnatur.*

Erantque res Venetæ in eo, quo diximus, statu in Italia, quum in Dalmatia jam inde ex quo Crojana cœperat obsidio, per annum & amplius sine intermissione tenuit. Circa autem nonas Junias Othomanus Rex longe atrocior, quam quatriennio ante, Scodram adortus est. Sub illius accessum Crojani fame domiti, & ad terribilem adventantis barbari famam territi, deditio-
nem fecerunt. Alibegus aliquanto ante illius accessum quindecim millibus bellatorum Scodram obsidione cinxit: quatrinduo post Solimanus cum septuaginta milli-
bus